

discretionem ultimò referatur, ideoq; verborum proprietatem & perspicuitatem efflagitent; exempla autem oratorum & poetarum præcipuè animorū delectationem & cōmotionem sibi proponant, adeoq; variis calamistris orationis artificium Logicū tegant; non video quā ratione ad illustranda præcepta Logica facere possint exempla illorum authorum, qui ad leges Logicas de ratione benè disferendi traditas se adstringi non patiuntur. In parte tamen speciali Logices hæc talia exempla locum habere possunt, ubi modus utendi instrumentis Logicis præscribitur.

V. Vitentur Systemata illa, quæ partem specialem prætermittunt.

Necessitas
partis spe-
cialis in Lo-
gica.

Vir magnus dicit: *Dimidius & semidoctus Logicus miserimum est & pestilens animal.* Est enim ita, ut Vives ait, homines liberalibus disciplinis semitinctos valde esse noxios. Hujusmodi semidoctos Logicos arbitramur esse omnes illos, qui ad notiones Logicas, veluti Sirenum scopulos adhærescunt, posthabitis præceptis de usu Logices. Nimirum notiones istæ Logicæ crepundia tantum quædam sunt, & velut citharcedorum teretismata, quæ mentem titillant. Quare cum notiones Logicæ sint instrumenta, nos juvantia ad veri cognitionem, necessum est ut ad hunc finem dirigantur. Dirigi autem non possunt ad illum finem, sine peculiari instructione. Iccirco in arte Logicâ tradendâ non sufficiunt præcepta, de naturâ instrumentorum Logicorum; sed requiritur insuper institutio peculiaris, quomodo instrumenta illa ad rerum cognitionem possint dextrè atque expedite applicari. Hic occurritur nobis à quibusdam, hoc fieri in ipso Systemate, ubi præceptis exempla adduntur, atque ita Logicorum instrumentorum usus in exemplis monstratur. Respond. Exempla nihil aliud sunt quam vades & interpretes præceptorum, non autem usum illorum indicant. Explicationi præceptorū serviunt, applicationem minimè ostendunt. Sunt tamen qui dicant, exempla rationē utendi præceptis confusè & implicitè, non autem distinctè & explicitè lectoribus insinuare. Et hi volunt, specialem Logicæ partem explicatè tradere rationē utendi instrumentis. Sed nos priorem sententiam potiorē ducimus. Dum